



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

7. Pipinus Francorum Rex, Treuerense S. Maximini monasterium sub suo mandiburnio seu protectione an. 763. aut 764. suscipit, Vtilrado Abbate postulante.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

grationem, nec vllum impedimentum à iudicibus publicis exinde quoquam tempore habere non pertimescant.

Vnde & ipsa congregatio, pro stabilitate regni nostri vel salute patriæ, Domini misericordiam iugiter debeat exorare.

Et vt hæc auctoritas firmior habeatur & in omnibus conseruetur, manus nostræ subscriptionibus eam decreuimus affirmare.

Signum gloriosi Regis THEODERICI.

Data, quando fecit Martius dies tres, anno primo regni nostri, *Anno*
Suessionis ciuitate, in Dei nomine feliciter. *720.*

NOTATIONES.

SITHIV) seu Sithiense monasterium, ab Adroaldo viro nobili an. 654. fundatum ac dotatum, hodie est amplissima Benedictinorum Abbatia Bertiniana, inter muros vrbs Audomaropolitanæ in Artesia. Porro S. Bertinus, illius loci primus Abbas, an. 698. hic viuere desijt.

S. ERKEMBODVS) seu Erquenbodo, S. Bertini discipulus, quartus Abbas Sithiensis, ac demum Episcopus Teruanensis seu Morinensis, anno 734. ad Superos transfijt, in S. Mariæ basilica, nunc cathedrali, conditus, vbi etiamnum sacra eius ossa religiosè adseruantur. Nomen eiusdem in tabulas Martyrologij Romani, 12. Aprilis, est relatum. Vitæ series exstat apud Ioannem Iperium, Abbatem & Chronographum ms. Bertinianum.

CAPVT VII.

*Pipinus Francorum Rex Treuerense S. Maximini monasterium
sub suo mandiburnia seu protectione an. 761. suscipit,
Vtilrado Abbate postulante.*

Domino & Salvatore nostro vitam æternam in Euangelio promittente, plena & integra fide sine dubio credimus, nobis in futuro sæculo recompensari, si stabilitatem & quietem monasteriorum confirmamus, ac res ecclesiasticas, Deo donante, cum protectione augmentamus.

Proinde ego PIPPINVS, gratia Dei Rex Francorum, omnibus
B 3 Regibus

Regibus in æternum futuris in hoc testamento denuntio, me habere sub potestate regali quoddam monasterium, vbi S. MAXIMINVS Dei Præiul est corpore sepultus, constructum videlicet in suburbio Treueris, atque dedicatum in honore S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ. Quod monasterium, cum thesauro atque tota Abbacia, sub illius loci Abbate semper constare præcipio: quia per antecedentia tempora à Regibus ita constitutum esse, repertum teneo.

Quapropter hunc præsentem Abbatem *Vitradum*, & omnes Abbates post eum futuros de eodem loco, simul cum monachis & Abbacia, sub Regum mundiburdio, in sæcula manere decerno: vt ab omni inquietudine expediti, Deo valeant seruire, cum gaudio spiritali.

Electioem quoque Abbatis supradictis monachis regali auctoritate concedo, vt habeant potestatem eligendi quemcumque voluerint, ea ratione, vt regulam cum sibi subiectis custodiat.

Si quis autem, quod absit, hanc chartulam infringere voluerit, vel eiusdem loci familiae vllam molestiam in aliqua re intulerit, contra voluntatem Abbatis & fratrum, iram Dei incurrat, ac Regiæ maiestati reus omni tempore teneatur.

Et vt descriptio firma sit, annulo sigillari eam iussimus nostro.

ADALOLFVS resignauit.

An. 761

Datum mense Ianuario, anno regni nostri XIV. in palatio publico Moguntia, feliciter.

NOTATIO.

PIPINVS) cognomento BREVIS, Caroli Martelli filius, Caroli Magni Imp. parens, anno 752. Rex Francorum à S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino est coronatus, & an. 768. viuere desijt.

CAPVT